

Isagoge I. H. Feustkingii, Ἰσαγόγη, recusato, adeo male id habuit Raselium, ut scripto non uno in Ministerium illud inuectus sit. In his recensendis otia nobis fecit, Io. Mollerus V. C. in Isag. ad H. L. C. P. IV. p. 585. Victus autem argumentorum adversus se allatorum pondere, palinodiam cecinit, quae Hanoviae Anno c1513 c LIII. prodiit, & a Ministerio Tripolitano, in praefat. ad libr. *Prüfung des Geistes Praetorii*, repetita est. Addatur eiusd. Ministerii *abgenöthigte Lehr- und Schutz-Schrift*. P. I. c. I. §. 40. p. 151. Arnoldus P. III. c. XV. §. 12. p. 145 de hac Palinodia subdubitare videtur, & Raselium cum Christophoro Roselio confundi existimat. Facilis est, largior, nominum sibi affinium, confusio. Quod exemplo non uno Homonymoscopia Molleriana, magno confecta labore, demonstrat. Video tamen Brecklingium, in Catal. Test. Verit. ap. Arnold. P. IV. Sect. III. Num. XLIX. p. 763. eundem, cum quo res fuit Ministerio Tripolitano, & nominatim Theologis Hamburgensibus, *Christophorum Andream Roselium* nominare. Vna igitur, eademque, fuit persona. Venit enim Raselius aliquot annos, post editam Palinodiam, in novam Weigelianismi suspicionem ob aliquem librum, quem vero se prodiisse auctore constanter inficiatus est. Hinc eum Schragmullerus A. c1513 c LX. & c1513 c LXI. scripto non uno oppugnavit. Vidit hoc, & commissum agnovit errorem, ipse Arnoldus, in Supplementis, & Emendationibus.

§. XLII. *PAVLLVS RICHTERVS*, in pago Hohenturmensi, prope Halam, Antistes, fictis Catharinae Forsteriae revelationibus fidem habuit, easdemque, pro concione, tanquam divinas, & a Deo profectas, auditoribus suis, non sine multorum offensione, commendavit. Indignatus maximopere hos Paulli conatus est Augustus, & res iam in eo erat, ut officio suo exueretur. Publice virum Io. Olearius castigavit, peculiari scripto, cui titulus: *Treubertzige Warnung, für dem verführischen Geist der neuen Schwärmer*. Legitur haec dehortatio in Pantheo Fanat. P. I. p. 89. Idem & privatim fecit una cum Io. Andrea, nec non Gottfriedo, Oleariis. Quorum monitis tandem locum dedit, formamque retractationis A. c1513 c LXIX. composuit, formis exscribendam publicis, quo emendatio omnibus inno-

telce-